3

10l

MUSÆ JUVENILES.

Per *Gulielmum Goldwin*, A. B.
Collegii Regalis Socium.

——— *Studiis florentem ignobilis oti,*
Carmina qui lusi. — Virg. Georgic. Lib. 4.

LONDINI,
Prostant Venales apud *A. Baldwin*, in Vico
Vulgo dicto *Warwick-lane*, 1706.
29. March:

Magna Britannia.

INſula dives opum, ſtudiiſq; aſperrima belli
Tuta ſub auſpiciis Divûmq; *Annæq;* Secundis
Stat dominata undis: Ornatum claſſibus æquor
Candentes ſcopulos madidis complectitur ulnis.

Hæc tellus duplici naturæ munere gaudet
Heröum frugumq; ferax. Onerata trophœis
Externis, ſpoliiſq; *Iſtri* prope flumina partis
Solis ab occaſu *Britannica* facta ſub ortum
Provehit, & magno victrix pené imperat orbi.
Huc Chorus *Heſperidum* fructu fulgente gravatus
Arboreiſq; opibus mittit flaventia poma,
Et *Britonas* donis ambire nitentibus optat.
Nec tellus, quondám *Felici* nomine dicta,
Quá ſeſe moles *Teneriffæ* excelſa ſub auras
Erigit ætherias, ſuperatq; cacumine nubes,
Hîc quanquam *Bacchus*, quas *Phœbus* percoquit, uvas
Turgentes, dignoſq; Deis autoribus hauſtus
Vitibus indulſit, ſat *Fortunata* videtur.
Si non dilectis commercia miſceat *Anglis*.
Parva loquor, *Britonum* nec convenientia famæ:
Quæ regio, quácunq; Orbis ſeſe explicat ingens
Inter utrumq; polum, in metaſq; a carcere ſolis
Non ſummittit opes, non vectigalia pendit?
Huc, redeunte anno, *Cæſar Moſcovius* oræ
Rector *Hyperboreæ*, quas præbet *Ruſſia*, merces

Effundit, ceù grata velit, perſolvere Morum
Præmia, quos didicit, cum quondam regna nivoſa
Deſeruit Princeps vagus, & te, *Gallia*, ſpernens
Dura ſub *Angliacis* Mollivit corda Magiſtris,
In patriamq; novas artes, nova bella reduxit.

Tuq; etiam *Libye*, cûm flavæ pondera arenæ
Theſauroſq; ſinu telluris divite clauſos
Eruis, ad *Britonas* rutilantia munera mittis :
Et cúm Fama refert Surgentia Saxa palatî
In lucis, *Roſamonda*, tuis, teſtantia palmam
Blenhemi, imperiumq; *Annæ*, victriciaq; arma,
Malbroviiq; decus ; ſpernis *Carthaginis* arces,
Phœniſſamq; ducem facti, & *Cannenſia* bella,
Hannibalemq; tuum : Sed cúm de littore *Calpen*
Aſpicis *Angligenûm* celeri virtute ſubactam,
De te pæne times, ſigniſq; per aëra motis
Plus metuis pictos, quám quos alis ipſa, *Leones*.
Et ſimul attigerit vicini fama duelli,
Ut *Carolus*, gremio quem nutriit *Auſtria* dulci,
Viribus armorum *Catalonica* regna redegit,
In ſolium properatq; Secundo Marte, *Britanno*
Sub duce ; Laudabis Juvenem, laudabis & *Annam*,
Permetueſq; Duces, quos *Anglica* terra triumphis
Dives alit, *Centæq*; relinques turpiter arces.

Sic dúm progenies *Britannica* grandibus auſis
Extendit patriæ laudes, pars altera Mundum
Circuit immenſum, Mercis ſtudioſa, Carinis,
Tutaq; ſub Magni Curâ auſpiciiſq; *Georgî*
In portum revehit turgentia dolia lucro ;
Nobile pondus opum, quales non attulit *Argo*
Colchiacis ſpoliis, auratoq; arjete fœta.
Ut ratibus fervet Nereus ! Ut littora rident
Mercibus externis ! Seu quas, *Gangetica* tellus,
Parturit alma ſinu, ſeu quos in, *Perſia*, campis
Luxurioſa tuis, textrix operatur amictus
Serica fila trahens ; ſeu quæ compendia longum

Per Mare Cara *Novo* Mercator ab *orbe* reportat
Sollicitus : Spolia ampla capit *Britannia* dives
Europæ Libyæq; & quæ parit *Indus* uterque.
Sic pater *Oceanus*, quem tu regis, *Anna*, profundum
In gremium recipit de totâ flumina terrâ
Danubiumq; Amplum, *Rheni Meuzæq*; fluenta
Jam domitis undis *Thameſi* famulantia Magno,
Teq; *Moſelle*, undis *Rhenanis* limpida miſcens
Flumina, jamdudum Noſtris addende triumphis,
Si modo fata Deûm, ſi Mens non læva fuiſſet.

At quanquam recipit, non auxiliaribus undis
Indiget; ipſe ſuis ſat fluctibus humida regna
Provehit, imperio nullo, niſi, ſubditus, *Annæ*.
Sic tu, Gens *Britanum*, externæ nihil indiga mercis
Floreſcis, nulli, niſi divis, ſubdita tellus,
Ecce ! Ut vere novo, cúm jam permulſerit arva
Temperies cœli, creſcit genialibus agris,
Luxuries herbarum & pingui gramine bellis
Aptos nutrit equos, quales non educat *Argos*,
Quales tu nuper ſenſiſti, *Gallia*, ripis
Iſtrinis Miſerâ Calcantes corpora ſtrage.
En ! Ut oves, populo decus & tutamen amicum,
Innumeris gregibus Montes veſtire videntur
Velleribus niveis, mox velamenta daturæ
Gentibus externis *Phœbo* ſub utroq; repôſtis.
Mox, ubi creſcentes fœtus tepefecerit æſtas,
Flaveſcenſq; ſeges gravidis nutârit ariſtis,
Aſpice, ut arrident donis *Cerealibus* arva
Triticeaſq; comas jactant ! Ut Maſcula pubes
Meſſorum validos exercent falce lacertos,
Ruris opeſq; ſtupent; quales non Aurea frugum
Diva Parens pulchros Spicis innexa Capillos
Sardiniæ diffudit agris. Ita munere divûm
Fertilitate ſuâ felix *Brittannia* ſtaret,
Staret, & anguſtos fines bene tuta foveret:
Sed jubet acer amor laudis, ſed vivida virtus
(Qualis, *Caſſivelaune*, tibi, tibi, Nobilis *Arthur*

Exti-

Extitit) (ut perhibent) deducta a Sanguine Teucrûm,
Ulteriora ſequi, famamq; extendere factis,
Ergò, ubi communiſq; ſalus, & publica cauſa
Provocat, incenditq; animos Mavortius ardor,
Principis imperio *Britonum* generoſa juventus
Ad littus deſcendit ovans, ubi bellica claſſis
Terrificæ longo ſeſe explicat ordine pompæ
Grande decus pelagi, ſerieſq; ampliſſima pugnæ ;
Si parat auſpiciis Heröum hoſtilibus acre
Puppibus exitium ; en ! Plenis ſubit oſtia velis
Rookius, objectaſq; Moras & lignea clauſtra
Perrumpens *Vigoæ* dominatur portubus amplis,
Et Mittens ratium diſploſa tonitrua, flammaſq;
Hiſpanos Galloſq; ignemq; undamq; timentes
Contundit ; Victorq; redit, velut alter *Iaſon*,
Per Maria alta vehens pretioſæ pondera prædæ.

Ne doleas damnis, Tellus *Hiſpanica*, tantis.
Hæc eadem Claſſis, Dux *Rookius* agminis idem
Mox revehit pondus rapto pretioſius auro :
Auſtriacam Sobolem, non *Gallica* vincla ferentem
Sed Libertatis, ſed Pacis amabile donum.
En ! Spes deliciumque *Europæ* credita nobis
Littore ab *Angliaco*, Regnis felicibus *Annæ*
Solvit in immenſum ; videor jam cernere ventis
Jam tandem placidis, Eurique faventibus Auris.
Fortunam *Caroli* per cœrula marmora vectam.
En ! Volitat (ſic *Anna* jubet) *Germanicus* Ales
Tela Sonora vehens *Auſtrini* in ſidera cœli,
Quà præceps puer injuſto Moderamine Sceptri
Incendit gentem, & regni malè tractat habenas,
Donec flammifero detortus ab axe Tyrannus
Rectori cedat proprio, dominarier Orbi ;

At quamvis Longinqui urget molimina belli
Anglia, Securum niveis complectitur alis
Alma Quies populum, placidoſq; perambulat agros ;
(Sic Superi, ſic *Anna* velint) Hic incola tutus

Prælia nulla videt, niſi quæ videt illita chartis,
Depictas acieſq; coloratumq; cruore
Danubium vero, fictâq; in clade jacentes
Gallorum turmas, cladis ſimulamina veræ,
Perluſtrans, animum picturâ paſcit inani:
Nec Sonitum armorum, neq; turbida fulmina belli
Audit, in innocuas niſi ferrea Machina flammas
Prorumpit, falſis *Thameſinq;* tonitrubus implet,
Lætifico reboans victricia bella ſonore.
Nec tuba clangores, nec tunſæ murmura pelles
Emittunt, niſi cùm recinit tuba clara triumphum
Malbrovii, & pulſu reſpondent tympana ſurdo.
Martius horror abeſt, vexillaq; rara videntur
In plateis, niſi quæ captivo ex hoſte relata
Trans *Iſtri Rheniq;* undas, Mavortia turma
Ordinibus juſtis procedens agmine longo
Explicat Ante *Annam*, pompæq; ſuperbit honore
Magnificæ, ſpolia illa ferens; ut lilia ſignis
Intertexta tremunt! Ut Marcida gloria pendet
Vertice languenti, certæ præſaga ruinæ,
Et fati, *Lodoice*, tui. O dedecus ingens
Gallis! O *Britonum* laudes! O quanta trophæa!

Quàm bené conſuluit rerum natura creatrix,
Cùm Magnum certo deſignans limite Mundum
Diſpoſuit gentes, & fluctibus interjectis
Disjunxit *Britonas*; dulces Sortimur honores
Prædia victricis belli, Martiſq; furores
Sentimus nullos, niſi qui ſub pectore gliſcunt,
Cùm peritura vocat peregrina in prælia tellus;
Et petit auxilium regis fortuna cadentis.
I nunc, *Galle* ferox, ſcenæ ſpectacula vanæ,
Deliciaſq; aulæ, & prælongo ſyrmate pallas,
Et Molles choreas, imbellia ludicra vitæ
Jactes! *Angligenæ* virtutem & bellica facta
Oſtendunt, palmamq; tuâ de clade virentem.
Tuq; etiam, *Latium*, Tu quóndam maxima rerum
Terra, foves lauros creſcentes dulcibus hortis,

Heröumq; ſtupes ſaxo ſpirantia ſigna ;
Heröas vivos oſtentat *Brittana* tellus,
Ornatos Meritâ lauri per tempora fronde,
Cæſaribus veſtris non inferiora ſecutos.
Nec, licet a *Phœbo* gentem natura remôrit,
Deêrit *Apollineus*, qui jam canet arma virumque,
Vates, *Virgilioſq;* ſuos habet *Anglia* docta,
Seu quos *Granta* parens, ſeu quos *Rhedycina* fovebat
Florentes ſtudiis, duo vivida lumina regni.

Nec, quamvis concluſa *Britannia* finibus arctis,
Invidet immenſas latis regionibus oras :
Namq; ubi ſe tollit triplici redimita coronâ
Laureolis onerata comas, Orbemq; pererrat
Luminibus tacitis, videt, ut fera bella fatigant
Saxonas, immixtoſq; *Polos*, *Sueconſq;* potentes ;
Ut Nuper Noſtro *Germania* Marte redempta
Exarſit furiis, belliq; rebellibus armis ;
Ut ſubit arbitrium *Lodovici* & vincula *Gallus* ;
Ut geminus poſcit p rinceps *Hiſpanica* Sceptra.
Eheu ! Jam dubio filo pendentia Sceptra ;
Hic præſens ſolii dominus, mox ille futurus,
Si *Britonum* virtus, ſi quid valet *Anna* Secunda:
Cumq; videt populos *Papæ* juga dura trahentes,
Et *Batavos Venetoſq;* ſub ægrâ ſorte gementes
Et Plebis Procerumq; placet Sejungier orbe
Sic, ô, Sic miſero : Reſidet contenta quietis
Imperiis *Annæ*, ſubq; unâ Principe felix.

At jam, muſa, ſinas annos iterare peractos,
Et veterum laudes ; Proaviſq; a regibus altis
Perpetuum ſerie deducens carmen in *Annæ*
Tempora, dic, quantis ſeſe *Anglica* gloria rebus
Extulit ! Ut Succrevit honos labentibus annis
Altior ! Et jam nunc caput inter ſidera condit.
En ! *Gulielmus* adeſt, cui dat Victoria nomen ;
Hic Heros Surgens in primo margine ſcenæ
Prætendit lauros hoſtili ſanguine tinctas,
Et meritam palmam, partamq; labore coronam,

En !

En! Nitet *Henricus*, non proximus ordine regni;
Sed virtute prior, decus *Anglis*, hoſtibus horror;
Juris hic amiſſi vindex per *Celtica* regna
Explicuit turmas, *Pariſinaq;* mœnia circum
Fulmineo intonuit bello, docuitq; ſubire
Impoſitas leges: Tum *Gallia* paruit *Anglo*,
Jam ſimileſq; timet caſus, timet arma *Britannûm*.

Parte aliâ effulget virgo regalis *Eliza*
Auſa novas aperire vias, quibus itur ad aſtra,
Relligionis opus vultu meliore recudens.
Tu Regina potens, tu bellis clara puella
Plus quàm fœmineis domuiſti robur *Iberi*
Viribus, imperiumq; ſimul claſſeſq; tremendas
Summergens uno miſeræ diſcrimine pugnæ.
Cumq; *Europa* ſatis ſtupuit muliebria facta,
Drakius ille tuus pennis pernicibus actus
Ventorum & famæ, longi ſuper æquoris undas
Tendit in *Heſpericas* oras, & littora linquens
Indica, *Virginiamq;* tuo de nomine dictam,
Vexit *Eliſeas* laudes & *Amazonis* arma
In fines terræ longe longeq; remotos:
Orbis & erranti cùm defuit, Herculis inſtar
Metam conſtituit memorem, fixiſq; columnis
Inſcripſit Patriæ titulos & nomen *Elizæ*.
O Immenſus honos! quem Sol orienſq; cadenſq;
Vix totum videt; O Mulier cumulata triumphis,
Terror amorq; orbi, ſoliq; imitabilis *Annæ*.

Te canerem, *Gulielme*, altâ de ſtirpe creatum
Naſſovii; ſed te *Batavorum* in ſidere natum
Muſa canens toto diviſos orbe *Britannos*
Dicere non audet; certè tu carmine dignus
Carmine digna gerens; & cùm venientia ſæcla
Prælia, *Boyniacaſq;* acies, Captamq; *Namurcam*
Audierint, verum te credent eſſe *Britannum*:
At me nobilis *Anna* vocat, vocat altera *Eliza*,

Ut-

Ultima *Stuvarti* generis, ſed & optima, proles.
En! Solio agglomerant virtutum dîa caterva,
Relligio gravis, & miti Prudentia vultu,
Atq; Themis Jove nata, & par Clementia divis,
Pieridumq; chorus, Charitumq; Sacerrimus ordo:
Parte aliâ ſtat Fama ſonans clangoribus æris
Angliacum decus. Heröum par nobile juxta
Hic terrâ, ille mari victor fortiſſimus; alter
Captivaſq; rates, & prædæ nobile pondus;
Alter captivoſq; duces & *Gallica* Signa
Summittit Dominæ, & magnis Succeſſibus *Anglos*
Evehit. O quales quantoſq; in marte triumphos
Terra *Britanna* parit! Quis doctus talia bella
Temperet a Muſis; quem non fecêre pöetam;
Fallor; an aſpicio rigidæ longo ordine pugnæ
Diſpoſitas acies *Iſtri* propè flumina magni;
Hos præceps furor & magnæ fiducia turbæ
Decertare jubent: Illos ſitis æmula laudum
Imperii lapſis certos ſuccurrere rebus
Provocat, & numero virtus præſtantior omni.
Eſſe! tremunt martis trutinæ; ſtabitq; cadetq;
Fatum, *Europa*, tuum pugnâ jamjamq; futurâ.
Cum *Brittanna* cohors fortiſſima pectora belli
Tot Spectata malis tot nobilitata trophæis,
Proruit, & gladiis vix dum de cæde refectis
Ad muros *Donawerta*, tuos metit agmina ſtrage
Majori, & flumen jam tardiùs ire coegit
Tela virum, galeaſq; atq; obruta corpora volvens.
In medio fervet, longè pars maxima pugnæ,
Omnia *Gradivo* ſimilis, *Brittannicus* Heros;
En! qualis rapitur, quantis aſſultibus hoſtes
Perrumpit numero plures, virtute minores.
Gallorum pubes, meliorq; *Bavarica Gallis*
Viribus inſtantis ceſſit; de ſanguine natum
Angliaco nôrunt; & tu, *Tallarde*, miniſtrum
Quem pacis quondam, captum nunc, *Anglia* vidit,
Vertis terga fugæ, trepidanſq; horreſcis ad *Iſtrum*,
Infelix ductor, nec par congreſſus *Achilli*.

Et,

Et, ne quà invidiæ violetur vulnere laurus,
Pro *Styge* vicino tingens in flumine frondem,
Victori imposuit, semperq; virescere justit
Semper honore novo. Salve jam libera curis
Salve, *Europa*, tuis; at tu, *Germania*, palmæ
Testis *Malbroviæ*, tu summos erige plausus
Nostrâ tuta manu. *Lodoici* Magna ruit vis
Uno eodemq; ictu; Quam non domus *Austrica* latis
Imperiis, quem non jam sexagesimus annus
Vexatum bellis domuit, domat *Insula* parva,
Restituitq; Orbem. Tantum dat fœmina victrix,
Malbroviusq; suus.
Et, jam si *Britones* valeant sua reddere regnis
Jura, & victrici compescere Marte Tyrannos,
Expectes proprium tellus *Hispanica* regem;
Fœmineis manibus succisa potentia, surget
Fœmineis manibus. Sic *Trojæ* inimica Minerva
Mœnia sudit humi, quamvis opera alta Deorum;
At *Cytherëa* nitens præsenti numinis umbrâ
Servavitq; Heröa, genusq; reduxit avitum.

In Certamen Pilæ.

Anglice, A Cricket-Match.

VEre novo, cùm temperies liquidissima cœli
Arridet, suadetq; virentis gratia terræ
Veloces agitare pedes super æquora Campi;
Lecta cohors juvenum, baculis armata repandis
Quos habiles ludo Manus ingeniosa polivit,
In Campum descendit ovans; sua gloria cuique.
Hic Magis aptus humum celeri transmittere plantâ,

Et vigilante oculo variis discursibus omnes
Ire redire vias ; longé torquere per auras
Doctior ille pilam, atque adversos rumpere ventos ;
Tertius arte valet quo non præstantior alter
Per sola plana *Orbem* dextræ libramine justo.
Fundere, qui rapido cursu præverteret ictum.

Adventum excipiunt *Manus Adversaria* lætis
Alloquiis nectuntq; moras ; mox jurgia miscent
Civilesq; iras, quòd vult imponere ludo
Quisq; suas leges. *Nestor*, cui cana senectus
Conciliat cultum turbæ veniamq; loquendi,
Se densæ immiscens plebi vice fungitur æqui
Judicis, & quanquam positis campestribus armis
Jamdudum indulsit senio, non immemor artis
Proponit justas leges, & temperat iras.

Dêinde locum signant, quà se diffundit in æquor
Plana superficies ; Hinc illinc partibus æquè
Oppositis bifido Surgentes vertice furcæ
Erectas modicum quas distinet intervallum
Infiguntur humo ; Tum virgula ponitur alba
Virgula, quæ dubii certaminis alea pendet,
Et benè defendi poscit : *Coriaceus Orbis*
Vi ruit infestâ, quem si fortuna Maligna
Dirigit in rectum, subversaq; Machina fulcris
Abripitur, cedas positis inglorius armis.

Stant *Moderatores* bini stationibus aptis
Fustibus innixi, quos certo attingere pulsu
Lex jubet, aut operam cursûs perdemus inanem.

Parte aliâ, visûs quà libera copia detur,
Parvo in colle sedent duo pectora fida, parata
Cultellis numerum crescentem incidere ligno.

Tum Certatores digitis capita æqua recensent
Ordine dispositi : Medias it nummus in auras

Ar-

Arbiter, & primas partes decernit agendas
Aut his, aut illis. Nondùm diſcrimine cœptò
Stant in procinctu juvenes; dum cautior ille,
Mittere cui data cura pilam, rurſuſq; remiſſam
Effugio prohibere, Manu alterutraq; tenaci
Excipere attactam, præſcripta ad Munia juſſit.
En! Quali ſtudio ſeſe diſponit! Ut acres
Excubias agitat circùm diffuſa juventus
Expectans ludi Monitum, trepidantiaq; haurit
Corda pavor pulſans, famæq; arrecta cupido.

Et jam dulce paratur opus: Par nobile primum
Heröum certamen init, duo fulmina ludi;
Inde, dato ſignó, pila lubrica viribus acta
Carcere prona fugit, volitanſq; per æquora ſumma
Radit iter rapidum: Seſe *Hoſtis* poplite flexo
Inclinat, cita currentis veſtigia luſtrans;
Si modó ſubſuſtet, tum certum aſſurgit in ictum
Brachia [illegible]vi torquens celeri, longéq; propellit
Clangentem ſphœram. Superas volat illa per auras
Continuo ſtridore ruens, atq; æthera findit.

At cœlo obſervans Catus *Explorator* in alto
Inſidias parat, erectis palmiſq; cadentem
Excipit exultans, dextrâq; retorquet ovanti.
Hinc lætus ſequitur clamor, dolor obruit illos
Mœrentes tacité caſum infelicis Amici;
Grande malum! Aſt uno avulſo non deficit alter.
Æmulus hic laudum furiiſq; ultricibus actus
Ingreditur ſcenam, & damnum reparare minatur:
Succeſſum Dea dira negat: Vix terq; quaterq;
Curſum *Orbis* peragit, vix dùm tria ſenſit ab hoſte
Verbera, præcipiti cùm protenus impete miſſa
Virgam ſede levem rapit, eluditq; Minantem.
Ille indignanti vultu ſua tela reponit
Atq; Deos atq; aſtra vocans crudelia, donec
Succurrens partes implêrit proximus hæres,
Qui jam languentem cauſæ ſocialis honorem

Inſtaurare velit ; ſed & hic quoq; numine lævo
Orditur luſum ; nam dum cúrſuſq; recurſuſq;
Alternos iterat, Veſtigia lubrica ponens
Labitur infelix, pronus metamq; ſub ipſam
Procumbit ; tremefacta gemit ſub pondere tellus
Ingenti, riſuq; exultat ruſtica turba.
Quemq; manent ſua facta, trahit ſuus exitus omnes
Ah ! Nimiúm properans : Seu fors, ſive artis egeſtas
Niſibus invidet ; retrò ſublapſa refertur
Spes omnis juvenum vultuſq; & corda relanguent.

Adverſum auſpiciis melioribus agmen arenam
Intrant, perpetuiſq; fatigant ictibus Orbem ;
Fervet opus ; manat toto de corpore ſudor ;
Mox ubi ludendi proceſſerit ordo tenore
Felici, litemq; unus deſcriminat ictus.
Impete pulſa pila in cæli ſublimia templa
Provehitur rapiente Noto, luſumq; coronat ;
Concertata diù Victoria concrepat alis,
Et complet clamore polum fremituſq; ſecundo.

In Obitum Honoratiſſimi Juvenis Johannis Churchill, *Marchionis de* Blanford.

QUis lacrymis pudor aut modus ? O qualem quantumq;
Abſtulit atra dies !
Vos Muſæ, quæcunq; *Glovernum* flêſtis ademptum
Funere præcipiti,
Languentes adferte roſas, nigraſq; cupreſſos
Munera triſtitiæ.

Hic

Hic puer egregius, quondam pia cura *Gloverni*,
(Ah ! Properans eadem
Fata ſequi, ſemper *Domino* comes ire paratus)
Eliciat Lachrymas.
Exue Lætitiam, ridens *Erycina*, chorumque
Idalii nemoris
Per Sylvas ululare jube mœſtiſſima verba,
Pulcher *Adonis* obît ;
At, quamvis pulcher, nugas contempſit Amorum
Deliciaſq; breves.
Majus movit opus: Te, Te Jove nata *Minerva*,
Ingenio coluit,
Ingenio, cui par nec adhuc Domus extulit ulla
Nec Domus ulla feret,
Dum nova *Malbrovio* ſurgens e ſtemmate proles
Hunc Juvenem referet.
Nec ſolùm ſtudiis famam pacalibus auxit,
Spes & Amor Populi
Grantigenûmq; decus: Dos altera *Palladis* illum
Sub *Patris* auſpicio
Ornatura fuit : Generoſo in pectore virtus
Ardua, viſq; animi
Bellica ſpondebant lauros juvenilibus annis,
Præmia magna Ducum.
Jamq; dies aderat, cùm fortia corda, *Britannos*
Nobilis *Aſcanius*
Duceret, *Æneæq;* premens veſtigia patris
Laudis iniret iter,
Burgundoq; Duci peteret concurrere in Armis
Dulce decus *Britonum*:
Feciſſetq; utinam ! Sed cæptis invida Parca
Decipit auguria,
Spemq; ſimul Juvenemq; uno demergit hiatu
Nil miſerata Dea ;
Nam ſi quid pietas tenero maturior ævo
Ingeniiq; vigor,
Si decor ingenuæ valuiſſent flectere formæ
Fata ſevera Deûm,
Non adeò flerem, non ſic inamabilis irent
Funeris Exequiæ.

Barometer.

PErvigil Aſtrologus Cœli labentia Signa
Sidereaſq; Domos ſpeculatur, vanaq; captans
Auguria, aſtrorumq; Minas, anniq; futuri
Temperiem variam præmonſtrat, & omina Cœli
Committit Chartis mendacibus, arte doloſâ
Ignaras fallens mentes & anilia corda.
At ſeſe oſtentat Cœli felicior index
Machina, quæ vitreo in longum producta canali
Erigitur, fundoq; capaci fuſile Pondus
Continet Argenti vivi, quod ſtatve caditve
Aëris arbitrio, ſupràq; prementibus auris
Æquatos ducit motus. Non certiùs æris
Lamina, quæ pendet verſatilis æthere in alto
Obſequioſa Notis, monſtrat, quâ cardine Mundi
Æolus emittit Ventos, quám penſile vitrum
Ingenium Cœli, pluviaſq; in nube volantes
Deſignat, faciemve poli ſine nube ſerenam.
Nempe ubi deſævit Jovis inclementia torvi,
Collectoſq; imbres tempeſtateſq; ſonoras
Gentibus intentat miſeris, Argenteus humor
Vaſis ad ima ſedet; ſeu mollius incubat Aër
Rarior, aut metuens Jovis intractabilis iram
Inferiora petit, ſeſeque receſſibus abdit,
Sin Cœli vultum Superum indulgentia ſudum
Diſcludat, puræq; æthræ lætabile Lumen,
Paulatim in tubuli ſummum vis fluxa metalli
Emergit, ſpatiumq; ſuum permenſa quieſcit;
Seu nitor ætherius, Phœbi & gratiſſima lampas
Elicit e latebris; ſeu ſurgit & implet *Inane*

Im-

Impatiens *Vacui* ; ſive eſt, quód fortior aer
Succurrit, quamviſq; Deorſum Materiäi
Vis innata trahat, pondus grave ſublevat alté.

Nobilis inventor ! Si te, vir magne, tuliſſet
Ætas priſca virûm, ſtupuiſſet territus orbis.
Ingenii vires, & te, non aëra, numen
Credens æternos arti ſtatuiſſet honores.

Carolus Auſtriacus.

SUrgentes *Aquilas* expectatamq; coronam
Auſtriacaſq; minas, moliminaq; ardua belli
Aggredior ; tu *Phœbe* pater, qui præſcius omnes
Percipis eventus rerum, Tu carmine digno
Arma *Ducemq;* Canas ; cúmq; arbiter axe diurno
Inveheris varias inviſens lumine terras,
Grandia dic *Caroli* conamina ; ſentiat *Indus*,
Sentiat *Hiſpanus* pertæſus pondera ſceptri
Borbonii Carolum, dilectum nomen *Iberis*,
Approperare ſuum ; *Auſtriaco* de ſtemmate proles
Venit, Iö, venit ; jam ventis vela datura
Puppibus inſtructis ornatur *Brittana* claſſis,
Lintea plena volant ſuprá ludentibus alis,
Et nam non ventis, ſed honore ſuperba tumeſcunt ;
In medio effulget longé pulcherrima * Navis
Dives opum, dives pictäi veſtis & auri
Principis Hoſpitium : Velorum intexitur alis
Vis *Aquilæ* armigeræ, *Caroliq; inſigne Joviſq;*
Numen ineſſe ſcias ; imitantes fulmina claſſes
Diſploſêre ſonos ; Huc tendit paſſibus æquis
Majeſtas Ducis auguſto ſpectabilis ore,
Vindſoriæq; Annæq; Memor ſe credidit undis

* *Royal* Catherine.

De-

Depoſitum, *Neptune*, tuum; Tu Rector Aquarum
Marmoreum ſubſterne ſalum; tuq; *Æole* cuſtos
Ventorum noſtris nimis ah! Satiate ruinis
Occluſis furiis ſlabriſq; nocentibus Auſtri
Fortunam *Caroli* permitte ſlaventibus auris
Æquoreas tranare vias, portumq; tenere
Quá deſideriis gens icta fidelibus optat
Auſtriacam Sobolem cupidis amplectier ulnis.
Gallus ab *Heſperiis* ſpeculetur in æquora clivis,
Expliciteſq; rates numeroſo milites fœtas *Angliae*
Miretur ſpectâcla, ſuo metuatq; *Philippo*.

Quod ſupereſt, *Rookeïe*, tuum eſt, tibi *Belgica* tellus.
Committit turmas, tibi pubis patria florem
Belligeræ, tibi commendat *Germania* prolem
(Annuerint modó fata) decus columenq; futurum
Cæſareæq; Domus ſimul *Europæq;* labantis.
Quantum claſſe vehis fortunæ! Hoc ſtamine pendet
Angliadum Batavûmq; Salus, & *Iberica* ſceptra.

Dî Maris & Cœli tuto deducite curſu
Spem curamq; Orbis. Tu *Rooki*, dirige clavum
Pignoris uſq; memor tanti; tu in littora tendis
Littora nota tibi, & *Britonum* teſtantia laudes:
His ipſis quondam, ut major *Iaſone*, terris
Hauſtos *Orbe Novo* prædæ fulgentis acervos
Claſſe reportâſti; nec te *Medæa* docebat
Vincere, ſed virtus Magicâ præſtantior arte.
Jam veró graviora moves; jam navigat æquor
Carolus; *Indiacæ* gazis pretioſius oræ
Jam revehis pondus, *Vigoæ*, quâ claſſe tuliſti,
Damna repenſurus. Quid enim? Fers nobile Munus
Principis, optatas regni qui nactus habenas
Erigit oppreſſas vires, ratibuſq; refectis
Cölliget *Heſperici* gremio de divite Mundi
Divitias ſine fraude graves, ſpolia ampla *Peruvæ*:

Et

Et jam (ſi faveat cœli clementia cœptis
Angligenûm in veſtris, tellus *Catalonica*, campis)
Tempus erit, cùm *Rex* (verbo precor omen in iſto)
Impoſitos Mores *Galliq;* Tyrannica jura
Contundet Sceptro, & *Lodovicum* vertet in ipſum
Bella minaſq; ſuas, quoſq; ipſe paraverat, enſes;
Auxiliiq; memor, quod præbuit *Anna*, ſalutem
Proteget *Europæ* partam concordibus armis:
Et nunc iſte *Puer* cum *Borbonio* comitatu
Fata viceſq; timens cingat ſplendentibus armis
Suſpectum ſolium, vel fraude inſtructus avitâ
Fulgentes prætendat opes: *Germanicus* ales
Expertus radios *Phœbæ* lampadis acres
Fortior objecto ferriq; auriq; nitore
Appetet imperium, capitiq; revellet honores
Raptoris, *dominoq;* ſuo diadema reponens
Per Mare, per Terras, inq; ardua ſidera Cœli
Evehet *Auſtriacum* nomen plaudentibus alis.

Pande ſinus omnes, tellus *Hiſpanica* pande
Mœnia, & Hæredi vero jam porrige ſceptra.
Sceptra, animoſq; ſimúl; nec certet vincere ferro,
Vincat amor populi ferro præſtantior omni;
Veſter erit *Carolus*; veſtras tutabitur aras.

In Obitum Amiciſſimi Mei G. R.

SIquid uſpiam fuit virtutis
Si quid caritatis, te, Amice, defuncto
Te (proh! Dolor) abrepto, hoc obtegit Sepulcrum
Tibi ſinus quietis, mihi ingens cura,
Cura, quæ ne nimium gravans

Malé habet habebitq;
Omnes in horas vehementior,
Lacrymasq; sponte profluentes elicit
Tuis debitas cineribus.
Tu ibis (sic Diis placitum) in sedes
Quá cuncta occupat Oblivio,
Lethæisq; condit tenebris;
Ast ego semper Amici memor
Te tuasq; virtutes
Morte non domandas
Nullo die animo delendas
Fideli cordis recondam sinu.
Sincerus Amor Caritasque
Mentisque integritas nec æquis
Nec iniquis temporibus mutata
In tui honorem
Meo semper hærebunt lateri.
Nam quis Juvenem tantis ornatum dotibus
Fato succisum immaturo
In ævi gloriæque flosculo
Quis hoc videns a lacrymis temperaret?
Iste (siquid adeó ferreum extat Mortalium)
Nec Amicitiæ Copulatæ dulcedinem
Nec divulsæ ægritudinem
Sensit, nec (tantum est infortunii.)
Licet sit immisericors, precor, sentiat.
Sola hoc ingenti casu gaudet *Libitina*
Et de te dilectissimum caput,
Lætos agit triumphos;
Nempé quód tantum formæ vigorisque
Tantum bellicæ fortitudinis
Vigoviâ spectatæ victoriâ,
Tantum gloriæ proprio Marte illic acquisitæ
Uno perdomuit ictu fatali,
Ictu fatali, qui me simul percutit
Partem tui dimidiatam,
Acrique ad vivum resecans dolore
Nolentem jubet volentemque

Sic ô ſic ſolvere exequias
Dilecti Manibus Amici,
Quas ſolas ego dare, ſolas ille poteſt accipere
Ultima amoris pignora, Heu! Ultima
Sed Maximé lugubria, Maximé ſincera:

In Procellam ortam Novem. 27mo, 1703.

COnticuit, ventus, feſſoſq; furoribus *Auſtros*
Æolus imperio revocans occluſerat antro;
Reddita temperieſq; Polis & lenior Aer
Indulſit facileſq; dies, nocteſq; ſerenas
At mihi nulla quies; vix-dúm ingens turbinis horror
Confuſiq; ſoni per lurida tempora noctis
Exciderant animo; pectus nova cura fatigat,
Terroris nova Materies; *Vir docte*, pavorem
Infandum renovare jubes, ut viribus æquis
Uná *Auſterq*; *Notuſq*; alto de cardine Mundi
Præcipites ruerint, nactiq; patentia regna
Prælia miſcuerint, ceu rumpere mœnia cœli
Certarent, validiſq; revellere Sedibus Orbem.
Qualis nox fuit illa! Quis incola *Strymonis* acer,
Quiſve *Caledoniis* paſtor nutritus in agris
Quá ſemper *Boreas*, ſemper fera flamina ſpirant,
Stridores ſenſit tales tantamve ruinam?
Non talem nutrit *Lapponica* terra procellam,
Cum laſciva cohors (ſi vera eſt fabula) *Sagæ*
Per Cœlum ſubvectæ altum ſpirantibus Auſtris
Nocturnos agitant gyros, verruntq; per auras,
Damnoſiſq; jocis vexant mortalia Corda.

Diq; Deæq; omnes, quibus eſt commiſſa poteſtas
Æquoris immenſi, quá plurimus incubat *Eurus*,
Plurimus horror ineſt, vos cærula ~~minima~~ Ponti Numina
Vos (ſenſiſtis enim) veſtros memorate labores.

Vix ſeſe *Oceani* abdiderat ſub gurgite *Phœbus*
Auſtrina de parte Poli vis ſtridula venti
Ingruit, horrendumq; ſonans ſuper humida Regna
Impet[illegible] continuos montes provolvit aquarum;
En! Procul ut fluctus ingentes ſtantve caduntve
Turbinis arbitrio: prenſus Mercator in undis
Quem creber durat Maris uſus in aſpera rerum,
Aſpicit attonituſq; ſtupet, dum prævius horror
Fati Corda ferit, geminatis viribus aucta
Mox fera Tempeſtas laxis effundit habenis
Majores furias, & in æquore regnat aperto
Vi graviore fremens: Videas, ludibria venti,
Jactariq; rates & fractas parte carinas
Illidi Scopulis; nec fas avertere cladem,
Nec revocare gradum; Puppis tutamina firma
~~Et revocare gradum, puppis tutamina firma.~~
Et laterum tabulæ, Funeſq; & Robora malorum
Ardua deficiunt; ferus omnia diſpicit *Auſter*
Diſjicit, & rerum apparet triſtiſſima clades.
Illic cernere erat fluitantes æquore gazas,
Fragranteſq; trabes, & lucri dolia fœta, &
Ruſſiacas Merces, & quicquid mittit ab almo
Indus uterq; ſinu: Dites vehit unda ruinas,
Immixtoſq; viros miſerâ jam in morte natantes.

Immoror exiguis: Damnum vis ſæva Procellæ
Triſtius incuſſit, majoriq; alite dignum.

En! Claſſis *Britonum* Decus & Tutamen in undis
Quæ nuper dominans equitaverat, hoſtibus horror,
Nunc ſuperata Salo flabriſq; potentibus *Auſtri*
In Vada cæca ruit; nec firmo robore quercus

Mon-

Montibus *Angliacis* licet indurata, furorem
Suſtinuit venti. Pars Merſa voragine * *Arenæ* * Goodwin Sands.
Fatalis fundum ſubſidit vortice ad imum ;
Pars rapiente *Noto* immiſſis procurrit habenis
Æquor in immenſum, pelagoq; laborat iniquo
Ignotis agitata viis ; neq; ſidera toto
Effulſêre polo ; nox undiq; & undiq; pontus.
(Dî Meliora *Anglis*, erroremq; hoſtibus illum ;)
Credibile eſt periiſſe ; ſed *Auſtri* & numinis ira
Puppibus his, tanquam excidio ſatiata, pepercit ;
Ecce ! Iterum claſſis, poſt tot diſcrimina rerum,
In portum redit ; at pompâ ſpoliata tremendâ
Oſtentat fractos Malos ruptoſq; rudentes
Flebile relliquium, monumentaq; triſtia cladis.
Hei mihi ! Qualis erat, quantum mutatur ab illâ
Quæ victrix redit *Hiſpano* de Littore, vectans
Pulchras *Indorum* exuvias, diteſq; triumphos.
Non ſic *Iliacas Juno Saturnia* naves
Vexavit pelago, quanquam pater *Æolus* omnes
Effudit ventos, & murmura ſæva procellæ,
Virginis intactæ pretio ; nec *Troius* Heros
Natus & ille *Deâ*, *Shovello* fortior iras
Pertulit *Auſtrorum*, nec tutior attigit oras.

At jam Sylvicolæ, Montanaq; Numina *Fauni*
Dicite, quám rapido per veſtros flamina lucos
Impete fervebant, quanto Sonuêre tumultu ?
Paſtor, oves dum curat in alto culmine montis,
Audiit inſolitos fremitus, raucoſq; fragores,
Audiit, extimuitq; malum ; ſed mané ruinas
Perluſtrat, cernenſq; ſua (ah ! Jam non ſua) tecta
Turbine correpta exitium miſerabile plorat,
Nec jam dulce canit, neq; carmina pangit in umbrâ.
Nam proſtrata jacent ingentia fragmina ſylvarum
Obſequioſa Notis ; procumbit Populus alta,
Fagorum truncique, & celſo vertice pinus,
Fraxineumq; caput, Nemoriſq; Superbia Quercus,

Quercus cara *Jovi* : Nec *Dodonæa* cadentem
Relligio, nec fida *Dei* tutela *tonantis*
Texit; at, ut quondam vocali ex arbore verba
Expreſſit præſaga, ſuæ jam præſcia cladis
Ingemit, abruptoq; ſimul truncoq; quereliſq;
Ingenti cadit ictu : Horreſcit ſylva ruinâ.
Cætera pars nemoris, ceu vellet ſolvere Magno
Exequias Domino, annoſæ propé funera quercûs
Depoſuêre comas laceras, ſciſſoſq; lacertos.
Nam tulit exitium venti violentia cunctis
Arboribus ; dolet ipſa ſuâ jam morte cupreſſus
Funeris anté comes ; ruptâq; propagine vitis
Succos pro lacrymis fundens ſua vulnera plorat ;
Tuq; etiam, *Daphne*, quamvis ſis fulminis expers,
Senſiſti ventos, graviores fulmine ventos,
Perpetuiſq; comis hibernoq; orba virore
Heu ! Miſeranda jaces, *Phœbo* nec amabilis ipſi.

Quid moror in Sylvis ? Muſam jubet ire per urbes
Sœvius excidium. Demoti cardine poſtes,
Divulſæq; trabes, totæq; ſedibus ædes
Procumbunt, dominoſq; ſuo ſub Marmore condunt :
Excuſſæ apparent tegulæ per ſtrata viarum
Tectorum exuviæ : Viden' ut Palatia celſa
Everſos apices, lapſoſq; queruntur honores;
Parte aliâ detruſa jacent immania ſaxa
Templorum Spolia ampla, in ſacras ſæviit Ædes
Improba tempeſtas ? Nec te tuâ plurima, *Templum*,
Grantæ pulcher Honos, *Henrico* autore ſuperbum,
Defendit pietas, nec firmæ gloria molis :
Ornamenta ruunt, caſuq; feruntur iniquo
In proprias partes, atq; impia vulnera figunt
Vulnera vel miſeranda hoſti. Quis talia cernens
Romanive gregis, templiſve *inimicus amicus*
Temperet a lacrymis ? O Summi rector *Olympi*
Quæ cauſa impulerat rapidos ſic mittere ventos
In loca ſancta tibi, templiſq; indicere bellum ?

Gallia

Gallia jamdudum nimis uſa faventibus auris
Exitii in partem veniat, delubra nefanda,
Opprobriumq; tui *fictos* ſub imagine *Divos*
Frangito, & imperii, quo dirigis omnia, nutu
Infeſtas violare rates permitte procellis,
Inq; vicem doleât ſubmerſam *Gallia* claſſem.

Sed cur tanta rogem! Si te, *Lodoice*, tuliſſet
Horrida tempeſtas, (ut quondam turbinis alis
Aſſimilis fertur *Cromwellius* iſſe ſub orci
Limina, defunctus vitiis) cladeſq; ruinæq;
Hâc Mercede placent: Lætabitur *Anglia* damnis,
Auſpiciiſq; *Annæ* præſentibus uſa, carinas
Inſtaurabit, opum benè prodiga; *Galle*, refectas
Experiêre rates, res *Anglica* major ab ipſis
Cladibus exurget, ventoq; fruetur amico.

Deſcriptio Iridis.

PHœbe pater, terræ ſtupor, ingens gloria cœli
Qui ſuper immenſam tellurem lumina ſpargis
Ætheriumq; polum & *Neptuni* cærula dorſa,
Cantanti radios mihi tu, precor, inſere lucem,
Et pulchras ſpecies variorum inſcribe colorum
Mentibus, adverſæ quibus induis *Iridos* ora.
Prima meum poſcit carmen *Thaumantias Iris*.
Nobile Spectâclum: Quid pulchrius *Iride* ſurgit,
Iride, quæ ſuprá colluceus æthere diô
Incurvat flexum magnis complexibus arcum
Monſtratura poli ſignum lætabile ſudi
Agricolis, ubi plenus ager flaveſcit ariſtis
Mobilibus, falcemq; vocat ſeges aurea campi.

Mu-

Muſa timet ſtupefacta, nec audet pingere *Divam*,
Quæ variis ornata coloribus enitet ultrà
Artis *Apelleæ* vires calamumq; potentem
Zeuxidos. Ætherii non ſic *Jovis* ardua ſedes
Stellarum ordinibus paſſim fulgentibus apta
Lumina lætificat; neq; Lunæ argenteus Orbis
Quamvis fraternâ accipiat de lampade lucem,
Et vario vultu creſcens minuenſq; niteſcat,
Percuſſit tanto mortalia corda ſtupore.

Irida majores (quêis & *Tritonia Pallas*
Favit, ſed nondum docuit Mirâcla colorum)
Attracti de more arcûs trans Æthera longum
Ducentem tractum procùl aſpexêre nitoris
Aſpexêre, ſimulq; oculos ſtupor obruit ingens;
Vota *Deæ* faciunt; Populus pro Numine adorat.
O genus ignarum! Miſeratus *Phœbus Apollo*
Ingenii luciſq; Parens, indulſit utrumq;
Mentibus humanis donum, ſpiſſâq; remotâ
Quæ priùs obſtitit, erroris caligine falſi,
Mirâcli cauſam ſe præbuit ipſe ſtupendi.

Namq; ubi de Cœlo defundit *Jupiter imbres*,
In Sphæræ formam quos Aër pondere fingit,
Aurea Tela *Dei* ſtillantis deſuper undæ
Per Guttas penetrant, & acumine cuſpidis acri
Adverſo pingunt lætabilis *Iridis* ora,
Unde oritur ſignum *Phœbo* famoſius ipſo.
Multiplicem aſpicias Scenam, Seriemq; colorum;
Infra cæruleus, rubeus ſuper; inter utrumq;
In mediis ſpatiis medii nituêre colores;
Sic decuit; vireſq; ſuas quiſq; exprimit ordo
Pro vario radiorum ictu, cum gutta refregit.

Iri, geris plures formas & carmine dignas
Carmine majori; ſed quanquam *Phœbus Apollo*
Deſcribat ſpecies radiis, tamen arbiter idem
Muſarum, numeris negat has deſcribier aptis.

In

In diem Valentini, sive avium Copulationem.

PRincipio veris, cùm jam rota Mobilis anni
Rettulit alituum *Veneres*, *dulcesq;* *Hymenæos*,
Pennigerûm Chorus omnis amorum percitus æstro
Conjugii quærit nexus, & compare gaudet.
At non dotis amor, neq; Sordida cura peculî
Puras Corrumpit flammas; neq; prævia dona
Sollicitant animos in mutua gaudia: Suaves
Attrahit in *Veneris* nodos *Venus* ipsa, daturq;
Pignus amoris amor. Sine dote *Corinna* Maritum
Concolor alliciet; nec tu, *Saturnia Juno*,
Cui famulatur *Hymen*, cui vincla jugalia curæ,
Hîc jura exerces; de te, pia Mater amorum,
Accipiunt tædas, per te connubia jungunt.
Nam, *Venus* alma parens, placidis jam vecta columbis
Molles Blanditias; dulcesq; in corde furores
Omnibus insinuas, & largum munus amoris
Infundens teneræ stimulas prurigine prolis.

En! Passer sævo quem frigore bruma coëgit
Securum nivis Hybernæ subrepere tecta,
Jam propiore calet flammâ, verisq; propinqui
Idaliæq; *Deæ* perfusus Corda tepore
Conjugiale petit fœdus, veteresq; calores
Agnoscens querulis garritibus ambit *Amicam*,
Ambit, & in *Venerem* properans sibi construit ædes
Stramineas, proprioq; *Lares* fovet incola lætus.

Sentit

Sentit *Alauda* novas ſubter præcordia flammas,
Concilianſq; parem Molli dulcedine linguæ
Cum lectâ Conſorte tori Canit, O *Hymenæe*,
O *Hymenæe*, Canit, ſublimiq; alta volatu
Aërium Molitur iter, Melicoſq; Sonores
Non intermiſſæ vibrat Modulamine vocis,
Ceu vellet Mulcere *Deos*, ceu vellet inire
Sidera, & ætheriis ſeſe immiſcere Chorëis:
Sed *Veneris* ſtimulus, ſed carmine dulcior omni
Prolis amor jam tum tendentem in regna Deorum
Devocat ad terram; nec fœtûs ponere cunas
Dedignatur humi, quamvis petat æthera pennis:
Uſq; adeó Venerem affectat genus omne volantûm,
Et ſpeciem renovare ſuam redeuntibus annis.

Ipſa dolens *Philomela* hilari jam voce Maritum
Allicit, & quanquam manet altâ mente repoſta
Cœna cruenta *Domûs* & lamentabile funus,
Jam cœſi infantis, veterumq; oblita dolorum
Imminet alatæ proli; neq; *Terëos* iram
Jam timet; ipſe etenim placido demulſus amore
Sævitiem poſuit, ſoboliq; indulget amatæ.

Te, *Procne*, Canerem; nam, tu licet ipſa ſororem
Suaſeris in partûs crudelia funera, pullos
Appetis implumes: Sed ſerò ordiris amores,
Seró jacis nidi fundamina prima futuri.
O *Pandionio* genus ortum Sanguine! Quamvis
Tota Domus, quóndam humano ſub corpore, diras
Arſerit in furias, jam cúm *Venus* aurea ſævas
Pacavit mentes, plumæ ſub tegmine molli
Mollius ingenium induitis, nidoſq; fovetis.

At jam, Muſa potens, ſurgat mihi carminis ordo
Alite Majori: Corvorum jurgia amoreſq;
Et raucos ſtrepitus, clangenteſq; æthere pennas,
Arboreaſq; caſas, & non imitabile textum

Nidorum, teneri Cunabula mollia fœtûs,
Aggredior ; neq; *Phœbe* pater, tu carmina Corvo
Abnueris, tibi ſit quamvis inamabilis ales,
Ex quo fatidicum Malé ſperans fallere numen
Pœnas Mendacî Mutatis ſolvit in alis
Jure gerens falſos, culpæ Monumenta, colores.

Stat nemus aërio conſurgens vertice, latos
Diffundens ramos, volucrûm frondentia tecta.
Huc, ubi lætifici clementia veris amorq;
Provocat, incenditq; Medullas diditus ardor,
Corvorum fraterna phalanx plaudentibus alis
Advolat, &, cúm participem curæq; toriq;
Connubio junxit, propriamq; dicavit in annum,
Phyllidi quiſq; ſuæ compar rauco ore diei
Gaudia Concelebrat, penniſq; triumphat in auras.
Ilicet incumbunt operi pennata caterva ;
Pars vetus hoſpitium renovat, contenta prioris
Relliquiis anni, cunaſq; inſtaurat avitas.
Pars nidi ſtudioſa novi conamine lætô
Itq; reditq; vias, & raptas ore reportans
Arboris exuvias operoſa cubilia fingit.
En ! Procul in trifido Domus eminet ardua ramo,
Quæ ſtructa impliciti contexto vimine ſepti
Compoſitis apté virgis fabricatur in *Orbem* ;
Nobile opus volucrûm ; quod non effingere poſſis
Dædale, tu quamvis agitaveris aëre pennas,
Humanumq; genus ſimul exuperaveris arte.
At, dum fervet opus, dum *Machina lignea* ſurgit,
Excubias agit ante fores fidiſſima conjux
Dum prædam explorat longinqua per arva Maritus ;
Nam ſæpe ailtüum vis rauca ſonantibus alis
Jura petunt aliena, & quæ ſibi quiſq; timebat
Unius in Miſeri exitium converſa tulêre :
Avulſoſq; *Lares*, direptaq; ligna Satelles
Clamitat aſpiciens, rixaſq; effundit inanes ;
Hoſtica turba rapit, Spoliiſq; exultat Opimis
Ore ferens gratas in propria tecta rapinas.

At damnum reparat labor arduus: Arbore in omni
Conſtructæ pendent arces & lignea caſtra
Sylvarum decus, & tutamen amabile prolis,
Donec parva Cohors Materno fota tepore
In pennas vireſq; adoleverit; inde relangnet
Pectore prolis amor, dum circulus aureus anni
Tempore Conjugii, *lucemq;* reduxerit *almam.*

FINIS